

**Reverendo [et] Praestantißimo Viro, Dn. M. Johanni Schrodero Ecclesiae
Wesselburiensis Diacono fidelissimo, Tilsam Virginem Lectissimam
Pudicissimamq[ue] Viri Integerrimi, Nicolai Hennichii Civis Wesselburiensis p. m.
relictam filiam, domum ducenti Gratulabantur Amici**

Rostochi[i]: Pedanus, 1619

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72822609X>

Druck Freier  Zugang



Schwöller, Johann

1619

9

3738.

Gebunden bei
R. Fuchs
Hof- u. Universitäts-
Buchbinder

69-3738

401





Ge
R.
Hof-

187/22 Buch II 6
23
Pd 678
D. T. O. M. A.

Reverendo & Praestantissimo Viro,
D N.

M. JOHANNI
SCHRODERO
Ecclesiae VVesselburiensis Diacono
fidelissimo,

TILSAM

VIRGINEM LECTISSIMAM PUDICISSIMAMq.

Viri Integerrimi,

NICOLAI HEN NICHII
Civis VVesselburiensis p. m. relictam filiam,

domum ducenti

GRATULABANTUR AMICI



ROSTOCHI

Excudebat Joachimus Pedanus, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XIX



Quid illigare verba metro, Apolline
 Musisq; non faventibus, parem?
 Quid abdicatas ante nutibus meis
 Redire promptas postulem
 Musas mihi SCHRODERE, & ipsum Apollinem?
 Utrumq; durum, & haud potest:
 Negant reverti, quando eas semel domo
 Exegeris, quin irrita est
 Opella, non volentibus qua sumitur
 Musis & harum praeside.
 Quid ergo? carminis seni suaves mihi
 Aetas modos si sustulit,
 Voti precumq; viribus non exiit.
 His usus ergo comprecor,
 Quacunq; fausta, quacq; sint felicia
 Tadis tuis jugalibus;
 Quas, casti amoris auctor unicus, Deus
 Alat foveatq; jugiter,
 Et te Patrem subinde amabili bees
 Proluq; longo examine.

Ex
 Bibliotheca
 Academiae
 Rostochiensis

PAULUS TARNOVIUS
 SS. Theol. D. & Professor.



Spenq; metumq; inter dubius sua carbasa solvit
 Navita, qui scindit caerulea terga maris.
 Pauperiem fugiens mortem vix effugit atram, &
 Parvum saepe lucrum maxima damna parit.

Quod

1933. XLII. 37

Quod si spem præter, cum mortem obiturus in undis
 Jam fuerat pressus, littora saluus adit,
 Lætus ovat lacerae puppi imposuisse coronam,
 Et narrat gaudens magna pericla suis,
 Atq; per ætatem, si quid peperisse bonorum,
 Fors potuit, mala hyems hoc rapit omne sibi.
 Conditio hæc misera est (quis parceret dicere?) nauæ.
 Ah liceat fato prosperiore frui!
 Sic sibi quisq;, maris tumidas qui respicit undas,
 Et fragilis reputat qui latera uncta ratis.
 Præcipue hæc soliti sunt derestariæ illi,
 Quis volupe est studijs invigilasse bonis.
 Sed mirum, non absimili jaetarier illos
 In pelago, ac nauarum his mala plura pati.
 Vita, mare est; fluctus, mala; Iova, Deus maris hujus;
 Conditio vitæ cymbula cuiq; sua est.
 Sunt venti, affectus, fortuna volubilis; atq;
 Exempla, illa hominem, nî cavet, usq; mōvent.
 Prosperitas est portus, in hunc contendimus omnes:
 Sunt socij, scopuli, sunt mala saxa, mali.
 Remi & vela quibus navis propellitur ista,
 Conatus, studium est, improbus atq; labor.
 Anne gubernaculo caret? haud ita. nempe vice hujus
 Prudentis vox est consiliumq; viri.
 Deniq;, quod spectas oculos, Cynosura parata est,
 Nimirum verbi lucida stella Dei.
 Quam quoniam in cursu studiorum plurima turba
 Negligit, immeritò naufraga littus aret?
 Affectuq; impulsa malo, exemplisq; malorum
 Abrepta, an portum salva subire potest?
 At SCHRÖDERE tibi melior sententia sedit,
 In roseo hîc Musis quando operaris agro.

Remis & velis cupis ipsam attingere metam,
 Te vox prudentis consiliumq; regit.
 Nullum intermittis studium nullumq; laborem,
 Salva tua ut portum cymba subire queat.
 Nec tua, (quod lætor) te spes SCHRÖDERE fefellit,
 Prosperitas cœli te manet atq; soli.
 Inveni portum, timor & fortuna valere,
 Nil mihi vobiscum, dicere jure potes.
 Nunc etenim, quando officium sublime gerebas,
 Quod justè impositum est non sine mente Dei,
 Prospiciente Deo, vitæ sociam, ut voluisti,
 Eligis, electâ ut pòst potiare, cupis.
 Et cupis, & capis hanc, quis te felicior alter?
 Jam venit in casses præda petita tuos,
 Virgo bella, tenella, malis inimica, pudica,
 Virgo pia, ut verba hoc dicier omne queat,
 Omne quod in mundo magnum stabile atq; sùave est,
 Quodq; homini demto sine manere potest.
 Si tamen his aliquid voluit clementia JOVÆ
 Addere, divitias addit & ingenium.
 Sed nec & ista tuæ Sponsæ, Sponse optime, defunt,
 Tam placido nunc te lumine Jova videt!
 Utere sorte tuâ, ac in honorem cunctipotentis,
 JOVÆ, hominumq; bonum commoda tanta refert.
 Lux satis ista monet, quæ, dum socialia læti
 Festa paras, inter *Spemq; Fidemq;* micat,
 Anteit alma *Fides*, sequitur *Spes* optima, adeste.
 Spes incerta nequit, si modo certa fides.
 Dicta tuis sint hæc à me pro tempore tædis,
 Sponse, boni candor consulat illa tuus.
 Dum claudio, adjicio versa uno, si quid omissum est:
 Deprecor omne malum, comprecor omne bonum.

EPI.

EPIGRAMMA.

Dum *Wesselburei* profiteris dogmata sacra,
 SCHÖDERE, & dives dum tibi virgo datur;
 Queis simul & nomen, res, & bona cuncta parantur,
 In mundo quæ homini credimus hocce dari,
 Hæc secum multi: si *permutatio* talis
 Est *ruri*, quid frustra oppida magna colam?
 Nulla tibi præstat regio *Dithmarsia*. in urbe
 Quod vix est alijs, hoc tua rura dabunt.

L. M. Q.

E. amico meo dilecto

JOHANNES TARNOVIUS
 S.S. Theol. D. & in Acad. Rosoch. Profess.

UT *Dithmarsiacos* nuper subvexa per agros
 Consuetas iterans alma CUPIDO vias.
 Mox tua, *JANE*, suo calcavit limina gressu,
 Vocibus ac tremulis tentat adire virum.
JANE, refert postes te quaeso, reclude repostos,
 Intus cede focum, sto, rigeoq; foris!
 Quid sit? (eras ignarus enim technæq; maliq;)
 Porta patet, rege ris, cum lubet, ingredi.
 Docta sed illa mali, postquam calefecerat artus,
 Arcus, mox, priscâ polleat arte? probat;
 Intendens, te *JANE* capit, te quærit anhelans,
 Dirigit in tete spicula, torva videns.
 Sic tu stratus habes, incendia mitia surgunt,
 Vulneribus certant vulnera quæq; suis!
 Scilicet hoc volui, arte virum prosternere talem;
 Jô, Jô vici, victus at ille jacet.


A z

Hic

*His dictis vacuas cæli concessit in auras,
 Artis erat tanta subdolus iste Puer!
 Huic quanam medicina malo? Æsculapius ipse
 Nil, aliquid, morbi qui fuit autor, erit.
 Aonidum campis crescit sex herba figuris,
 Nomine quæ claro TILSIA suada cluet.
 Perge citò in campum, florem decerpe salubrem,
 Aptæ vulneribus, postmodo saluus eris.
 Pharmacon est præsens læsa tua TILSIA parti,
 Dimidium est anima; viva columna Viri:
 Est in amore oculus: labris est dulce labellum,
 Est venus & turtur: casta Diana tibi.
 Felices nimium, vel terq; quaterq; beati.
 Anchora quos FIDEI, glutinat atq; TORI!
 Vivite concordēs, seros proferte nepotes
 Adsit Eros cursu præpete, trudat Erin.*

In debitæ observantiæ *πικύειον* F.

ADAMUS AB ARCA. Hamb.


Arcu te vacuum, JANE, Cupidinem
 Elusisse satis jam satis autumas?
 Non sat firmus in hoc: Palladis ægide,
 Ut semper vacuum, semper inobvium,
 Speres aligeri præpetibus DEI
 Telis: plus nihilò, quàm laterem lavès
 Si tu des operam, perficias reor.
 Circa pectus huic robur, & æs triplex,
 In vasto triplices pectore sunt doli;
 Immò quadruplices, si modo coeperit.
 Non tantùm variant eximiæ minæ,
 Et pollens satis est, & satis impiger.


Non

Non durare queunt, vincit Amor Deos,
Sub regnò pueri Mars quoq; vapulat.
Contendisse tibi sufficiat: probri
Ut damnò caveas, des humiles manus:
Retrorsum satius vela resistere,
Quàm præstare vafro ludibrium Noto.
Res est salva, puto: mens tibi, nec color
Certà sede manet, mutat & arguit
Quòd lentè penitis ureris ignibus
Abjectaq; fugis jam bene parmula.
Hoc cambire catus novit Amor modò,
Præsens & facilis, quos beat indoles
Mansues, ut Genijs tristibus insolens.
At vorfura tibi quandò habet optumè,
Nec cogi æquus amor nunc amat, aut trahi.
Non te poeniteat poscere TILSIAM,
Eupheme peperit, Candor ei est parens.
Usu si veniant mixta bonis mala,
(Ut nunquam est eadem sors vicibus ratis)
Interpres gravium sollicitudinum
Tutillare queat, demere sit potens
Lurorem faciè TILSIA pallidà,
Mærorumq; fibras vellere funditus,
Ceu insigne chæret nominis-omnis:
Salvis auspicijs ducere TILSIAM
Me svasore potes, rectiùs attramen
Directore DEO, VORTAT IDEM BENE.
Felices, voveo, voster & amplius
Ad plenum cumulet divite copià
E largò gremiò prospera Faustitas.
Sit Partunda parens, sitq; Thalassio.
Ate deficiat, pellat, Eros, Erin,

Nec

Nec lethi citius tarda nec esitas,
 Quàm vitæ fatias cœperit impotens
 Arces ad superas corripiat gradum.
 Hoc cambire modò scit DEUS unicè.
 Si vorfura placet, plaudite, claudite.

DANIEL WESTERMANNUS.



DEspondere melos noverca Musa.
 Et mens impulerant, nec invidebam:
 Crudis ad bene de meis phaleucis
 Sperandum mihi signa sustulerunt.
 Quos Titan meliore finxit auro
 Luto, quos hederâ politiores
 Secretos populo bonis Poëtis
 Accensere studet favens Apollo.
 Idem qui mihi vellicavit aurem.
 Et dixit, tenues juvant myricæ.
 Ergo si tenues amas Phaleucos
 Sic tandem tenues tamen, repostæ

Vis voti, quibus atq; sublit omen.
 Apto difficilis loco moveri
 Virtutis pretium stat occupare
 Ducis Tilefiam lubens coactus
 Nil monstri hic alitur, Deus secundet
 Qui rectos animos Deus fovet
 Insuevit, bene vertat: ille fundus
 Subscriptorq; tori Deus jugalis
 Eternum faveat novis maritis.

Φιλαδέλφιος Ένεκε.
 Bernhardus Schröder



Quando domum ducis Tilsam, nove Sponse, Matitam,
 Talia fata tibi, qualia vœta mihi.

V O T A.


Fons Manans DICI, Vitæq; paratvs apte,
 AVtor Vt esse torI, Dirige Chrifte torVM.
 Dirige Chrifte torVM tibi stratI Inferta IVgalls,
 Fons Manans DICI, Vita salVsq; Ve potIs.

F A T A.

Fata viam invenient, si dux est Christus & Auctor.
 Si dux est Christus, fata viam invenient.

Gratulabundus depropinbat

BALTHASAR LUBBERTUS Hoffm.



EPIGRAMMA.

Dum *Wesselburei* profiteris dogma
SCHÖDERE, & dives dum
Queis simul & nomen, res, & bona cu
In mundo quæ homini credimus
Hæc secum multi: si permutatio talis
Est ruri, quid frustra oppida n
Nulla tibi præstat regio *Dithmarsia*.
Quod vix est alijs, hoc tua rura

E. amio

JOHANNES
S.S. Theol. D. & in

UT *Dithmarsiacos* nuper subvexa per
Consuetas iterans alma *CUPID*
Mox tua, *JANE*, suo calcavit limina gre
Vocibus ac tremulis tentat adire v
JANE, refert postes te quaso, recludere repos
lutus cede focum, sto, rigeoq; foris!
Quid sit? (eras ignarus enim technæq; ma
Porta patet, regevis, cum lubet, ing
Docta sed illa mali, postquam calefecerat a
Arcus, mox, prisca polleat arte?
Intendens, te *JANE* capit, te quarit anhe
Dirigit in tete spicula, torva viden
Sic tu stratus habes, incendia mitia surgun
Vulneribus certant vulnera quaq;
Scilicet hoc volui, arte virum prosternere t
Jo, Jo vici, victus at ille jacet.

A. z

